



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid sit organum & obiectum potentiæ visiuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

est potentis aut solentis offendere: sed neutrum dici potest; aut si potest, non debet dici fieri per species insensatas, sed per sensatas: ergo.

Probatur minor quoad primam partem: quia non per modum inimici actualis, nisi actualiter offendat: sed actualiter non offendit, nisi quatenus ex perceptione externa ipsius sequeretur aliqua molestia; illa autem molestia si sit in sensu externo, non percipitur per speciem insensatam de qua hic agimus, ut patet ex dictis in initio questionis; si vero sit in potentia interna debet antecedere ipsam perceptionem eius, & tunc debet causari ab obiecto secundum rationem sensatam sensu aliquo externo, ut patet: ergo non est necessaria species insensata.

Probatur etiam eadem minor quoad secundam partem, nempe quod non per modum inimici aptitudinalis, aut potentis offendere: quia non potest aliquid apprehendere per modum calefactui, nisi actualiter expertus est quod aliquando calefecerit, aut ipsum, aut aliquid aliud simile: ergo non potest percipere aliquid per modum apti, aut potentis nocere, nisi aliquando expertus est quod nocuerit. Sed imprimis experientia in quibus se fundant aduersarij ad ponendas perceptiones insensatas, habentur in casibus in quibus non præcessit actualis experientia nocimenti. Et deinde, si actuale nocimentum debuit præcessisse, illud cognosci debebat per species sensatas: ergo & aptitudinalis inimicitia per eandem cognosci poterat, & consequenter non dantur species insensate.

Probatur denique conclusio: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas specierum insensatarum: ergo non dantur.

Probatur minor ex solutione obiectorum.

96. *Obicies:* ovis fugit lupum non propter indecentiam coloris, aut figuræ, sed quia inimicus est naturæ suæ; & auis congregat paleas, non quia id delectat sensum, sed quia est utile ad nidificandum: ergo percipit ovis inimicitiam lupi, & auis utilitatem paleæ: sed illa non percipiuntur à sensibus externis: ergo sensus internus percipit in obiecto aliquas rationes insensatas.

Confirmatur: quia natura non deficit in necessariis: deficeret autem, nisi communicaret animalibus facultatem perceptiuam istarum rationum non sensatarum; sine enim illa, nec ovis fugeret lupum, nec auis nidificaret, nec animalia cognosceret herbas sibi utiles, & nociuas.

Respondetur ouem fugere lupum ob aliquam molestiam, quæ scit in se eo viso, quæ molestia causatur ab ipsismet accidentibus externis lupi in ipso, vel immediate vel mediate: hanc autem molestiam, cum experitur in se, naturali instinctu fugit sine cognitione vlla, præter cognitionem obiecti externi sic molestantis. Facile vero percipi potest cur alteri lupi, aut aliis animalibus non inferatur talis molestia, nec consequenter fugiant; quia propter diuersitatem complexionum accidentia illa externa lupi possunt bene causare molestiam in animali talis speciei, quamuis non causarent ipsam in animalibus alterius speciei, sicut aliquibus hominibus odores displicent, qui aliis placent. Ad illud de auibz dico, eas etiam instinctu naturæ moueri ad colligendas paleas, & nidificandum sine vlla cognitione utilitatis, aut alterius rationis non sensate.

97. *Ad confirmationem respondeo* prouidisse naturam sufficienter animalibus tribuendo ipsis illum instinctum, ratione cuius exercent illas operationes, siue exercent ipsas mediante specie, aut cognitione sensata, siue non. Vnde in forma, nego minorem.

Dices: si accidentia lupi percepta à sensibus externis ovis causarent illam molestiam in oue, ratione cuius fugeret, etiam si educaretur cum lupo deberet fugere: sed hoc est falsum: ergo.

Probatur sequela maioris: quia simili probatione visum ad offendendum, quod non causetur species insensata per lupum, aut sua accidentia, aut species externas.

Respondeo negando sequelam maioris, quia ex consuetudine accommodari posset ipsius complexio taliter, ut non offenderetur præsentia lupi, sicut odores, & cibi

ingrati redduntur aliquando grati, aut saltem non ingrati per consuetudinem, & contra, qui grati sunt fiunt ingrati.

Deinde fuga illa potest impediri per metum, & molestiam illatam ab eo, qui cogit ouem ad cohabitandum cum lupo.

Ad probationem sequelæ, nego paritatem, quia species intentionalis cuiuscumque obiecti applicata sufficienter debet semper determinare ad cognitionem illam, ad quam est determinata, nec hoc potest impediri vlla consuetudine, aut mutatione complexionis, sicut possunt alia alterationes naturales, & physicae, & etiam delectationes, ac molestia.


98. *Obicies secundo, ex Arriaga,* sensus internus percipit concordiam vocum, in qua consistit musica, & proportionem colorum in qua consistit pulchritudo: sed sensus externus non percipit illa: ergo dantur species insensate.

Respondeo distinguendo maiorem: percipit illam concordiam & proportionem formaliter, quatenus dicit respectum, aut vllam rationem, quæ non percipitur à sensu externo, nego maiorem, fundamentaliter, id est, percipit ipsasmet voces, & colores, quæ habent illam concordiam, & proportionem, concedo maiorem, & similiter distinguo minorem: sensus non percipit illa formaliter, concedo, fundamentaliter, nego minorem, & consequentiam: & dico, quacumque ratione percipiuntur illa à sensu interno, eadem ratione ea percipi ab externo.

Obicies tercio, ex eodem. Bruta agunt propter finem applicando media ad eius acquisitionem: ergo cognoscunt utilitatem medij respectu finis: sed hanc non percipit sensus internus: ergo.

Respondeo distinguendo antecedens: formaliter loquendo, aut cognoscendo finem, & media alio modo, quam cognoscuntur à potentiis externis, nego, materialiter, applicando ea quæ reuera sunt media ad finem, concedo maiorem. Et similiter distinguo minorem, & nego consequentiam.

Vbi aduerte, quod brutum si cognosceret media, & finem formaliter loquendo, omnino deberet discurrere, & ex effectu procedere ad causam, neque enim ipsemet homo potest alia via cognoscere media apta ad finem. Quod si concedatur semel brutis vis discurrendi, non est dubium, quin possint sibi acquirere species insensatas; vnde Conclusio nostra, & tota controuersia hæc supponit bruta non discurrere: quare hæc obiectio non est ad propositum, quia est contra hypothesim conclusionis, & controuersia.



DISPUT. III.

De potentiis externis in particulari.

POTENTIA externa, de quibus hic tractandum est, sunt quinque omnibus notæ, nempe Visus, Auditus, Gustus, Odoratus, & Tactus, quas dari certum est experientia.

QVÆSTIO I.

Quid sit organum, & obiectum potentie visive.

1. **O**rganum seu sensorium visus, est illa pars oculi in qua producitur, ac recipitur ipsa visio. Ut autem decernatur quamnam sit illa pars, supponendum ex anatomia oculum constare, ac componi ex variis partibus diuersæ rationis, nempe ex tribus humoribus, ac quatuor tunicis. Ex his humoribus, qui in centro oculi residet, vocatur *chrysalinus*, seu *glacialis*: hunc circumdat secundus, quem vocant *vitreum*, circumdatus vicissim ipse à tercio humore, qui dicitur *aquens*, seu *albugineus*. Porro quatuor tunicarum prima dicta *specularis*, & *an-*

structura oculi.

nea, proxime ambit humorem chrySTALLINUM: secunda dicta *reticularis* circumdat humorem vitreum, & ipsa ambitur à tertia quæ vocatur *vnea*, & est in diuersis hominibus diuersi coloris; quarta denique, quam vocant *corneam*, amplectitur totum oculum.

Præterea reperiuntur duo nervi à cerebro vsque ad oculum protrahi, qui paululum postquam à cerebro recedunt, inter se vniuntur, & postea separantur, vno ad vnum oculum, altero ad alterum directo. Hos nervos appellant *opticos*, seu *visorios*.

Ex his ergo partibus diuersis, *Auicenna* existimat sensorium visus esse nervos opticos in ea parte, qua conueniunt: *Toletus* tunicam araneam: Communior sententia pupillam oculi, seu humorem chrySTALLINUM; *Complutenses* denique, & humorem chrySTALLINUM, & nervos opticos, præcipuè in ea parte qua conueniunt.

CONCLUSIO I.

2. *Sensorium visus est pupilla oculi, seu humor chrySTALLINUS.* Hæc est, vt dixi, communissima cum *Galeno lib. 8. de usu partium cap. 6.* *Combricens. Suario, Ruuo, Auerſa, Arriaga* hic contra reliquas sententias.

*Probat*ur: quia quantum ad experientiam nostram attinet, omnino magis apparet visionem produci in aliqua parte ipsius oculi, quam intra oculum in nervis vltis, & hinc etiam oculus dicitur videre, sed ex suppositione, quod producat in oculo, nullibi melius, quam in humore illo chrySTALLINO, qui in centro oculi ponitur, velut cæterarum omnium partium præcipua, ad quam ordinantur.

Confirmatur contra Auicennam: quia ideo ipse sensorium visus ponit in nervis opticois qua parte conueniunt, quia alias obiectum videtur duplicatum: sed hoc est falsum: ergo.

*Probat*ur minor, tum quia *Vesalius lib. 4. de fabrica corporis humani, c. 4.* affirmat se reperisse quendam hominem Patani, in quo isti nervi non conueniebant, qui tamen nunquam conquestus est vidisse se semper obiecta duplicata: tum quia quamvis visio produceretur in pupilla, quandoquidem idem videretur visione vtriusque pupillæ, non deberet videri duplicatum, nisi poneretur impedimentum aliquod.

Confirmatur secundo contra Toletum, quia ideo ipse non ponit sensorium visus in humore illo, sed in tunica, quia humor non est animatus: sed hoc est falsum, quamvis enim alij humores fluidi, qui decurrunt hinc inde per corpus, non sint animati, hic tamen, qui non est sic fluidus animari potest, & debet.

3. *Confirmatur tertio contra Complutenses*, quorum sententia hac de re cæteris minus habet probabilitatis; quia illi præcipuè mouentur ad ponendum sensorium visus partim in nervis opticois, vt visio sit vna, & potentia visiva vna, quia altera visio esset superflua.

Contra, inquam, *hanc doctrinam primo*: quia multo magis esset vna illa visio, si in solis nervis opticois qua parte conueniunt, produceretur, quam si etiam produceretur in oculis: & si produceretur ibi vlla ratione, nihil prorsus impediret quo minus ibi solummodo produceretur: ergo, vel tenendum esset, quod ibi solum produceretur, vel quod non produceretur ibi vlla ratione.

Contra secundo, quia quamvis visio extenderetur à pupillis ad nervos, adhuc essent duæ visiones, nam certè visio vnius distinguitur realiter à visione alterius oculi, & potentia illa productiva visionis, quæ est in vno oculo distinguitur realiter à potentia productiva visionis, quæ est in altero oculo.

Nec refert, quod secundum sententiam *Complutensium* continuarentur inter se per illam extensionem ad nervos opticos qua parte conueniunt; quia illa continuatio non impedit quo minus, quæ continuantur visiones, sint realiter distinctæ, & separabiles à se inuicem.

Contra tertio, quia plura ponuntur in sententia *Complutensium* quàm communi: ergo ad superfluitatem vitandam non est tenenda illa sententia, sed potius communis.

*Probat*ur antecedens: quia communis non ponit, nisi visionem vnam in vna pupilla, & alteram in altera: sed illi & hoc ponunt, & præterea alias visiones, seu partes visionis extensas per totum medium interiacens inter pupillam, & partem illam capitis, in qua nervi optici conueniunt.

4. *Contra quarto*: quia superflue ponitur illa extensio visionis, neque enim vlla prorsus est necessitas ipsius.

Dices, necessitatem esse, vt visio sit vna.

Contra, quia si non sit vna omnino simplex, & excludens partes loco notabiliter separatas, non debet esse vna vlla ratione: ergo non est asserenda illa extensio ob illam vnitatem conseruandam.

Confirmatur hoc ex paulo ante dictis: quotiescumque vnitatis alicuius rei non potest teneri absque multiplicatione maiori entium, quam alias esset asserenda, non debet asseri illa vnitatis; propter principium commune, quod non sint multiplicanda entia sine necessitate: sed non potest teneri vnitatis visionis, quin plures partes eius asserantur, quam deberent asseri, si non teneretur, vt est euidens: ergo non est asserenda illa vnitatis.

Obijci primo, pro *Auicenna*, quem sequitur *Ioannes à S. Thoma*. Nervus optici, seu visorios propterea tales vocantur, quia in ipsis produci visio: ergo sunt sensorium visus.

Respondeo negando antecedens: sed ratio inditi istius nominis est quod per eos ad oculum deferuntur spiritus animales, sine quibus oculus videre nequit, & quod per eos etiam species deferantur ab oculo ad potentiam interioriorem.

5. *Obijci* secundo: sufficit vna visio, & superfluit duplex eiusdem rationis de eodem obiecto: sed si produceretur in pupillis, essent duæ visiones, si vero in nervis in illa parte qua conueniunt, esset vnica tantum.

Respondeo, sicut non sufficit naturæ providere vnum oculum, nec superfluum duo, quamvis sufficit ipsi providisse vnam linguam pro gustu, ita etiam non suffecisse ipsi providisse vnam visionem, nec superflue duas.

Confirmatur: secundum aduersarios, species similes speciebus delatis per vnum oculum deferuntur per alterum etiam ad nervos opticos, sine superfluitate: ergo etiam sine superfluitate potest produci in vno oculo visio similis visioni alterius oculi, ad quamcumque enim vtilitatem deseruiet illa multiplicatio specierum eiusdem rationis, poterit deferuiere multiplicatio visionum.

6. *Obijci* pro *Complutensibus*. *Philosophus lib. de sensu, & sensibili* postquam dixisset visionem esse in oculo, vt denotaret illum non esse in superficie oculi, sed interius in nervis opticois, ait: *Non enim in ultimo oculi antea, aut anima sensuum est, sed manifestum quoddam interius.*

Confirmatur: quia in eodem libro dixit: *Si autem quemadmodum oculi duo sunt, dicat quis nihil prohibere; sic etiam in anima dicendum, quod forte ex his vnum aliquid sit & vna operatio ipsorum*: ergo non sunt duæ visiones non continuatæ.

Respondeo, ex hoc loco, neque cum coniectura posse colligi aliquid de nervis opticois, solum enim expresse dicitur quod visio non producat in superficie oculi, hoc est in humore, aut tunica exteriori, sed interius, hoc est in pupilla; quæ est intima pars oculi: quod si etiam loqueretur de superficie ipsius pupillæ, adhuc posset esse verum, quod non esset producta visio in illa superficie, sed interius in parte interiori pupillæ; nec hinc sequeretur, quod deberet esse producta in nervis.

Ad confirmationem respondeo imprimis, *Philosophum* nihil hic determinare, vt patet ex particula *forte*. Deinde illud de vna operatione potest intelligi de vna quantum ad æquivalentiam, non quod reuera sint duæ: vnde nego consequentiam in forma.

7. *Hæc quantum ad primam partem questionis*; nunc secunda pars resoluenda est. Ad quod aduertendum, illud esse obiectum visus, quod percipitur per visum, seu ad quod terminatur visio: vnde quandoquidem visio ocularis terminetur quandoque ad colorem, quandoque ad lucem & lumen, non est dubium quin tam color, quam lux & lumen

sensorium
visus est
pupilla
seu hu-
mor chry-
STALLINUS.

lumen sit obiectum eius; & quandoquidem etiam nihil aliud videat oculus, quod percipi non possit per alias potentias externas, aut omnes, aut aliquas, si caperetur pro obiecto adæquato visus aggregatū ex omnibus obiectis in quæ posset visus tendere, & in quæ non posset tendere vlla alia potentia externa, obiectum adæquatum visus sine dubio esset aggregatum ex omnibus coloribus, & ex omni luce, ac lumine. Sed si capiatur pro obiecto adæquato aliquod vnum ex pluribus obiectis, quæ percipere potest visus; non potest assignari aliquod vnum obiectum, per ordinem ad quod posset explicari bene potentia visiva, tanquam ad obiectum adæquatum; nam illud vnum, vel esset lux, vel color, vel aliquid abstractū ab illis: sed non potest esse lux, quandoquidem posset videri præter lucem color, & color nullo modo spectat ad lucem; neque potest esse color, quia præter colorem potest lux videri, quæ non spectat ad colorem; neque aliquid abstractum ab illis, tum quia visus non tendit in rationes abstractas; debet autem tendere in obiectum adæquatum; tum quia non potest explicari quantum sit illa ratio abstracta.

Dices, posset explicari dicendo quod sit illud quod posset videri, in hoc enim conveniunt lux, & color.

Contra, quia non potest intelligi ut sic, quin intelligatur ipsamet potentia visiva; ergo illa explicatio non est sufficientis explicatio eius in ordine ad perueniendum ad cognitionem potentie visivæ.

Itaque nihil ulterius circa obiectum visus declarandum manet, quam ut ostendatur quid sit color, quid lux, & lumen, & quomodo requiratur lux, & lumen ad videndum colorem; de qua re quamvis egerim in commentario ad distinctionem decimam tertiam Secundi, tamen hic etiam iterum tractanda videbatur.

CONCLUSIO II.

Lux non est substantia.

8. Nec lux nec lumen est substantia. Hæc est communissima sententia cum Philosopho 2. de anima text. 69. Doctore in 2. dist. 13. D. Thom. 1. part. q. 79. ac ceteris Peripateticis hic contra Empedoclem, Lucretium, Simplicium, quos ex recentioribus sequitur Sebastianus Bassonus 2. de celo, intentione 2.

Probatur primo ex Doctore, quia utrumque est per se sensibile, ut patet experientia: ergo neutrum est substantia, nulla enim substantia est per se sensibilis sensu externo, nisi ratione accidentis. Hæc probatione utuntur Conimbricenses, & Ruvius; & quamvis negari posset consequentia cum sua probatione; tamen quandoquidem non posset assignari vlla alia substantia, quæ sit per se sensibilis, & omnia alia quæ per se sentiuntur à sensu externo, sunt accidentia, omnino verisimilior est, quod lux ac lumen sint accidentia & non substantia.

Probatur secundo quoad primam partem etiam ex Doctore, quia lux in aliquo est accidens; ergo in omni. Consequentia est evidens, quia quod in aliquo est accidens est aptum natum inherere, & quod est tale non est aptum natum per se existere, & consequenter non est substantia. Probatur antecedens: quia in igne est accidens, neque enim est tota substantia ignis, nec materia prima nec forma substantialis eius; non quidem materia prima, quia alias omnia corpora essent lucida, essent enim materia prime: non tota substantia ignis, quia sic lux stellæ esset tota substantia istius stellæ, & consequenter stellæ & ignis & quodcumque aliud lucidum essent eiusdem speciei; non etiam forma substantialis ignis, propter eandem rationem.

9. Dices: quamvis ignis aut forma ipsius esset lux, & eodem modo stellæ, & quodcumque aliud lucidum, vel forma eius esset lux, tamen non sequeretur quod essent eiusdem speciei, quia licet convenirent in ratione lucidi, tamen disconvenirent in ratione lucidi talis aut talis lucis, non quasi esset differentia in ratione ipsius lucis, quatenus lux est, seu quatenus perceptibilis à sensu externo, sed quod lux celestis, v.g. haberet aliquas operationes & influxus quos non haberet lux ignis, aut alia terrestris; aut quod lux celestis esset substantia simplex aut incorruptibilis, & lux terrestris esset substantia composita & corruptibilis.

Confirmatur hoc: quia corpora cælestia conveniunt cum sublunaribus in ratione substantiæ ut sic; & etiam conveniunt cum igne in ratione exigentis lucem connaturaliter ex suppositione quod lux sit qualitas: ergo similiter possent convenire in ratione lucis aut lucidi, quavis illa ratio esset substantialis utriusque.

Quod ad me attinet, sincere fateor hæc responsione enervari posse vim prædictæ probationis: unde potius innixendum primæ.

10. Probatur facilius conclusio, quoad secundam partem de lumine: quia lumen in aëre est accidens: ergo ubi cumque.

Lumen non est substantia.

Probatur antecedens: quia non est substantia, aut forma, aut materia aëris, ut est evidens; neque est alia substantia, aut materia aut forma substantialis: non quidem materia, quia alias omnia constantia materia essent luminosa: non etiam substantia, quia sic duæ substantiæ essent in eodem loco, nimirum substantia luminis & aëris; neque forma substantialis, quia hæc non datur nisi in aliqua materia & substantia composita: ergo si non datur cum aëre aliqua composita substantia, neque dabitur cum ipso aliqua forma substantialis.

Hæc probatio efficaciter probat lumen esse accidens, & si lumen esset eiusdem speciei cum luce, consequenter probaret lucem esse accidens; unde Thomista tenentes ea esse eiusdem speciei, merito utuntur hac probatione ad probandum lucem esse accidens: At Scotus, quia sunt in opposita opinione, deseruire non potest ad probandam lucem esse accidens.

Dices cum Bassono, lumen non esse eodem loco cum aëre; sed esse particulas aliquas tenues substantiales immixtas à corpore lucido, & immixtas aëri.

Contra primo: quia incredibile videtur tot particulas substantiales immisceri per totum aërem quin aër moveatur; ex illuminatione autem constat experientia ipsum non moveri.

11. Contra secundo: quia illæ particule immixtæ aëri, & egredientes à corpore lucido, v.g. Sole, vel egrederentur ab illo corpore eo modo, quo vapores egrediuntur à corporibus humidis, & exhalationes à ficcis, & calidis; vel producerentur de novo in ipso aëre. Neutrum dici potest: ergo non dantur tales particule.

Probatur minor, quoad primam partem, nempe quia dicit, quod non egrediantur ut vapores, aut exhalationes: tum quia non possunt exire in instanti, illuminatio autem fit in instanti; tum quia darentur pori in caelis, per quos transirent istæ particule, quod absurdum est; quia exentibus illis particulis, nihil ipsis succederet; tum quia corpora cælestia lucida essent corruptibilia, & extenuarentur paulatim per egressum quotidianum tot corpusculorum.

Probatur eadem minor quoad secundam partem, nempe quod non essent corpuscula de novo in aëre generata: quia, vel generarentur ex materia aëris, vel ex alia. Si ex materia aëris, ergo aër corrumperetur quoad maximam sui partem, quod est absurdissimum; imo quoad omnem, quia non est potior ratio de aliquibus partibus eius, quam de omnibus; si ex alia materia, præterquam quod assignari non possit, ergo in instanti quo fit illuminatio in cubiculo magno, v.g. ad apertionem fenestæ, fieret generatio istarum particularum, & destructio aliorum corporum ex quorum materia generarentur, & rursus clausa fenestra fieret destructio istarum particularum, & productio aliarum succedentium, quod totum est absurdissimum.

12. Obicit Philosophum scilicet 11. problematum 13, ubi radios solares, ac lumen vocat corpora.

Deinde Augustinus 2. de lib. arb. dicit lumen primum locum tenere inter corpora. Et Theodoretus q. 7. in Gen. asserit lucem esse substantiam per se coherentem. Et denique Damascenus 2. de fide. Neque enim, inquit, ex quorundam sententia ignis quidquam aliud est quam lux: & cap. 8. dicit substantiam luminis esse diversam ab aëre.

Respondeo, Philosophum eo loci nihil determinare, sed dubitatione tantum procedere, sicut solet plerumque in

problematicis. *Augustinus*, & *Theodoretus* capiunt lumen, & lucem pro corpore luminoso, & lucido, quod sine dubio est substantia *Damasceus* autem primo loco loquitur in sententia aliorum. Et in secundo capit substantiam pro natura, ac entitate; ita ut sensus sit, quod lux habeat entitatem & naturam distinctam ab entitate ac natura aeris; ex hoc vero non sequitur quod sit substantia, aut quod non sit accidens.

13. *Obiicies secundo* fundamentum *Bassoni*: radij Solares incidentes in foramen camini notabiliter impediunt egressum fumi, sed hoc fieri non posset nisi illuminatio fieret per intermixtionem corpusculorum; ergo *Confirmatur* per rationem, quam *Philosophus* in problematibus supra dat, cur nox aptior ad audiendum sit quam dies: nempe, quia aer de die densior est ob radios solares ac lumen, quam noctu, & vox facilius fertur per minus densum: neque enim de die deberet esse densior ob radios, nisi illuminatio fieret per corpusculorum intrareceptionem.

Respondeo negando minorem: nam aer ipse affectus qualitatibus quibus afficitur, sic illuminatus posset resistere fumo, tam bene quam cum illis corporibus; si tamen vera est illa experientia, de qua sane dubito, nisi tum spiraret ventus impediens fumum: quod si spiraret tum ventus, experientia illa nihil facit ad propositum.

Ad Confirmationem respondeo, veram rationem non esse illam, sed potius, quia noctu minus vocis excitatur per aerem, quiescentibus scilicet magna ex parte animalibus: nec refert quod illa ratio proponatur à *Philosopho*; quia non omnes rationes, quas proponit in problematibus, sunt sufficientes.

CONCLUSIO III.

Lux male describitur esse actus perspicui. 14. *Non bene definitur lux aut lumen esse actus perspicui, ut illustrati aut illuminati.* Hæc est contra *Complutenses* disput. 10. num. 11. & patet, quia qui non cognoscit lumen aut lucem, non potest cognoscere quid sit esse illustratum aut illuminatum; ergo alicui non cognoscenti lumen aut lucem, pessime describeretur per ordinem ad illuminatum, aut illustratum, quod mihi tam evidens est, ut mixer oppositum ab illo teneri.

CONCLUSIO II.

Descriptio lucis. 15. *Lux optime describitur esse qualitas ex se visibilis independentem ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis eius, consequens naturam sui subiecti, ita ut connaturaliter nequeat produci, aut destrui, nisi eo destructo aut producto.* Hæc est in terminis nullius.

Probat tamen: quia omni & soli luci convenit hæc descriptio, & potest deducere ignorantem quid sit lux, ad cognitionem naturæ eius, & ad ipsam ab omnibus aliis formis discernendam, ut magis patebit ex eius explicatione. Dicitur *qualitas*, quia si non sit substantia, certum est quod debeat esse qualitas, neque enim esse potest quantitas, aut relatio. Dicitur *ex se visibilis independentem ab alia qualitate*, ut excludantur colores, qui sine lumine nequeunt videri. Dicitur, *quæ non sit species intentionalis*, quia tam certum est, quod requirantur species intentionales ad videndum quodcumque aliud. Dicitur *consequens naturam subiecti*, &c. ut excludatur lumen, quod distinguitur specie à luce, ut patebit statim. Quod si lux & lumen essent eiusdem speciei, ut tenent *Thomistæ*, non esset necessaria hæc particula, nec vera.

Hinc patet bonam etiam esse illam descriptionem lucis, quæ dicitur quod sit qualitas, à qua quæ ex natura sua perspicua sunt, independentem ab aliena qualitate quæ non sit species intentionalis ipsorum, habent esse perspicua, hoc est, habent posse videri, quia nulla qualitas tribuit ipsis hoc nisi qualitas concomitans connaturaliter eorum naturam, & quæ videri possit absque dependentia ab alia qualitate.

CONCLUSIO V.

Lumen est species visibilis lucis. 16. *Lumen est species visibilis lucis.* Hæc est *Doctores* in 2. distinct. 13. suorumque, quos sequitur *Aegidius de anima* 76. *Thiemenensis* ad text. 71. *Buridanus* quest. 78. & alij.

eamque probabilem existimat *S. Thomas* in 4. d. 1. q. 1. est autem contra eundem 1. p. q. 67. *Ruinum*, *Aueram*, & *Complutenses* hic.

*Probat*ur: quia si lumen non esset species visibilis, sed qualitas intentionalis, deberet impedire sensationem, sensibile enim reale non intentionale positum supra sensum, visus præfertim, impedit sensationem; sed certum est lumen non impedire visionem siue alterius luminis, siue lucis, siue coloris, sed potius conducere ad illam habendam: ergo est qualitas intentionalis, & consequenter species visibilis.

Hæc probatio, quamvis *Caietano* difficilis appareat, cuius responsio & impugnatio ipsius videri potest in Commentario meo ad Scotum n. 11. mihi tamen se sola non sufficit, quia responderi facile potest, sensibile positum supra sensum impedire sensationem sui, non tamen alterius: & licet aliqua sensibilia posita supra sensum impedirent etiam sensationes aliorum obiectorum; tamen id negari posset de omni sensibili, nec facile posset probari uniuersaliter quod omne sensibile impediat sensationem.

Melius ergo probatur, quia omnes conditiones speciei impressæ visibilis lucis conveniunt lumini: ergo est talis species.

*Probat*ur antecedens: quia dependet à luce in fieri & conservari, caret contrario, producit in instanti, destruit & omnino necessarium est ad videndam lucem.

Confirmatur: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed non est necessitas ponendi alias species lucis præter lumen: ergo solum est species lucis.

17. *Obiicies primo*, lumen videtur: ergo non est species visibilis impressa, quia hæc est ratio videndi non visa.

Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem dico quod species impressa sit ratio videndi non visa, quatenus illa species quæ est in oculo & eum determinat ad visionem non videtur ab ipso oculo; non vero quatenus non possit illa species, aut alia eiusdem rationis videri quando esset remota ab oculo.

Dices: si species visibiles remotæ ab oculo possent videri, deberent semper videri quoties proponerentur in oculo; hoc autem est falsum: ergo nunquam possunt videri.

Respondeo cum *Doctore* negando sequelam: nam quemadmodum ipsum lumen diffusum per medium non potest semper videri, secundum aduersarios, etiam si non esset species visibilis secundum ipsos, sed tum solum quando contiguatur corpori opaco: ita etiam quamuis sit species visibilis, & possit videri, non debet semper videri, sed tum quando contiguatur corpori opaco.

18. *Obiicies secundo*, lumen denominat medium luminosum, sed species visibilis non denominat medium, ut patet de speciebus colorum, quæ non denominant medium: ergo lumen non est species visibilis.

Respondeo negando minorem, impossibile enim est aliam formam esse in subiecto, quin ipsum denominet, quandoquidem denominare ipsum non est aliud quam communicare se formaliter ipsi.

Confirmatur hoc: quia si imponeretur hoc nomen *Albedo* ad significandum speciem visibilem albedinis, & *album* ad significandum subiectum in quo esset illa species, profecto non minus albedo tribueret suo subiecto esse album formaliter, nec magis denominaret ipsum albū, quam *albedo* denominaret suum subiectum *album*: ergo illa species realiter denominat à parte rei suum subiectum, tam bene quam albedo, aut lumen, licet non sit nomen de facto impositum ad significandum istam denominationem speciei, sicut est ad significandum denominationem albedinis. De quo meo iudicio non potest esse controuersia.

19. *Si autem quæras*, cur non sit impositum nomen ad significandum effectum formalem, quem tribuit species colorum suis subiectis, sicut est ad significandum effectum formalem quem tribuunt species lucis, nempe lumen.

Respondeo ratione principalem esse, quia homines id noluerunt, & fortassis sunt ad hoc adducti, quia lumen habet alium effectum valde principalem, & sensibilibiter notum, præter illum effectum quem habet, ut est species visibilis.

visibilis præcisè: nam ut species habet tantum determinare potentiam ad visionem lucis; sed præterea habet posse causare visionem per modum obiecti, & deferuire ad videndos colores; species autem colorum non habent alium effectum communiter notum, quam determinare potentiam ad visionem colorum producendam.

Obiicies tertio, lumen habet effectus reales, potest enim producere calorem, & corrumpere physicè oculum. Sed huiusmodi effectus non competit speciei visibili, aut qualitati intensionali: ergo.

Respondeo, si maior sit vera, negando minorem, neque enim est vlla ratio cur qualitas intensionalis non possit habere effectus reales non intentionales, modo simul habere etiã possit effectus intentionales. Dixi autem, si maior sit vera, quia existimo probabilius esse cum *Durando*,

Lumē nō
producit
calorem.

Auersa, & aliis contra *Conimbricenses* 2. de calo cap. 7. q. 5. Lumen non esse productum caloris; sed calorem, qui producitur simul cū lumine, produci à causa illuminante per calorem; aut formale, si illa causa sit calida formaliter, ut est ignis, aut virtuale, si illa causa non sit calida formaliter: ut non est Sol. Ratio autē huius est, tum quia nulla prorsus est ratio, unde colligatur inesse talē virtutem luminis, aut etiam luci: tum quia si per lumen producerent corpora caelestia calorem, per aliam aliquam qualitatem similiter diffusam deberent producere frigus quādo frige faciunt: talis autē qualitas assignari nō potest, & gratissime fingeretur; tum denique quia si per lumē produceretur calor à Sole, iuxta proportionem luminis deberet esse proportio caloris: sed hoc est falsum, quia certum est non esse tantam differentiam inter lumen æstatis, & hyemis, quanta est inter calores utriusque. Vnde in forma *Respondeo secundo*, negando maiorem.

10. *Obiicies quarto*, si lumen esset species lucis, à qua procedit, verbi gratia, Solis, quoties proponeretur sufficienter lumen sic, ut visio ad ipsum terminari possit, deberet videri illa lux in eadem forma, & figura, quam habet, sicut quādo proponitur species hominis in speculo, ipsemet homo in sua forma & figura apparet: sed hoc esse falsum patet experientia: ergo.

Respondeo negando maiorem, neque enim obiectum, à quo produciuntur species, debet videri in loco ubi est species, nisi quando ipsummet producit speciem reflexā: Sol autem non habet vim producendi speciem reflexam ab omni loco in quo potest videri lumen.

Hinc patet lumen posse optime describi per hoc ipsū, quod sit species visibilis lucis: sed quia non solum competit luminis esse talem speciem formaliter loquendo, sed etiã ulterius alij effectus competunt ipsi, qui & possunt considerari in lumine, quin consideretur lumen esse species visibilis, nec colligatur inesse ipsi ex eo quod sit species visibilis lucis; & verisimile est, quod hoc nomen *lumen* sit impositum ad significandum illam qualitatem, quæ vocatur lumē, secundum quod est apta nata habere illos alios effectus: Ideo describi potest secundum hanc aliam rationem esse qualitatem per se visibilem independentē ab alia qualitate non intentionali, & non consequentem vllum subiectum ex natura talis subiecti connaturaliter; cuius descriptionis sensus & bonitas patet ex iis, quæ dicta sunt circa descriptionem lucis, à qua per vltimam particulam, & non consequentem, &c. differt.

CONCLUSIO VI.

21. Color bene describitur esse qualitas non intensionalis, quæ potest videri; sed non sine dependentia ab alia qualitate, quæ non sit species intensionalis eius. Hæc etiã in terminis est nullius: sed in re vix negari potest.

*Probat*ur autem: quia omni & soli conuenit, & absque superfluitate declarare potest naturam coloris ignoranti quid sit, ita quod possit ipsum discernere à quacunque alia qualitate sibi propoſita. Dicitur, *Qualitas, quæ videri potest*, quia omnis color videri potest, & in hoc conuenit eū luce & lumine. Dicitur *non intensionalis*, ut distinguatur à specie coloris, quæ probabiliter videri potest. Dicitur, *sine dependentia ab alia qualitate*, &c. quia non potest videri sine luce aut lumine, & in hoc differt à luce & lumine.

Descrip-
tio colo-
ris.

Alij solent colorem describere esse qualitatem quæ mouet actū perspicuum, hoc est, quæ potest videri per mediū transparentem & lucidum seu luminosum, cum tamen non constituat istud mediū lucidum ac luminosum. Quam descriptionem nō improbo; sed magis placet altera, quia hæc non potest intelligi quin intelligatur quid sit lux aut lumen, illa autem altera potest.

CONCLUSIO VII.

22. Colores veri, & sensibiles, qui scilicet semper ad quamcumque illuminationem lucis in eadem distantia apparent videri, distinguuntur à luce & lumine. Hæc est communis contra *Platonem in Timæo*. Et probatur manifestè: quia si non distinguerentur à lumine, non deberent semper apparere eodem modo ad quamcumque illuminationem lucis aut luminis, contra experientiam.

Confirmatur, quia calores apparentes, quia non distinguuntur à luce aut lumine, non sunt stabiles, & ad diuersam applicationem lucis apparent diuersi: ergo qui non apparent diuersi ex quacunque applicatione diuersa lucis, erunt distincti à luce & lumine.

Obiicies, secundum *Philosophum* 3. de anima tex. 38. lumen quodammodo facit, ut qui sunt potentia colores, sint actu colores; ergo non distinguuntur actuales colores à lumine.

Respondeo negando consequentiam, quia non faciunt actu colores constituendo ipsos formaliter in esse coloris, sed quatenus qui sunt colores actu, nec tamen possunt proxime actu videri absque lumine, antecedente lumine actu videri possunt: qui est verus sensus *Philosophi*, & insinuat etiam aliquantulum per particulam quodammodo.

23. *Quæres primo*, an requiratur lumen ad videndum obiectum aliquod tam ex parte obiecti, quam mediij.

Hurtado & Arriaga hic existimant lumen requiri ex parte obiecti tantum. *Ranum* existimat ipsum requiri etiam ex parte mediij, ad videndos colores, non vero ad videndam lucem. *Complutenses* existimant non requiri lumen ex parte obiecti colorati, ut videatur color, sed solum ex parte mediij: explicant autem necessitatem luminis ex parte obiecti, quam negant, consistere in hoc, quod necessarium esset ad dandam actiuitatem coloribus, ad producendas species in medio illuminato, & ad determinandam visionem.

Ad hanc difficultatem dico primo, ex suppositione quod lumen sit species sensibilis lucis, ipsum sine dubio requiri ex parte totius mediij, tam ut videatur color, quam ut videatur lumen. Patet manifestè, quia quotiescumque applicatur lux taliter ut possit videri, applicatur etiam sufficienter ad hoc ut possit producere speciem sui vsque ad potentiam videntem, alias videri non posset; & quotiescumque etiam proponitur color sufficienter ut possit producere species, debet illuminari: sed quotiescumque illuminatur, lux vel lumen, per quod illuminatur, applicatur sufficienter ad producendas species visibiles snipius per totum mediū: ergo non potest nec color nec lux videri quin illuminetur totum mediū: si lumen sit species sensibilis seu visibilis lucis.

24. Dices cum *Hurtado & Arriaga*: aliquando videtur lux remota, aut color remotus ex loco obsecurissimo, in quo non videntur colores proximiores: ergo non potest esse lumen productum per totum mediū, quia alias viderentur colores illi proximiores: ergo non requiritur lumen ex parte mediij.

Respondeo negando sequelam cum sua probatione: quamuis enim lumen sit diffusum per totum illud mediū, tamen est tam exiguum, ut non possit sufficere ad videndos colores alios quam remotos magis perfecte illuminatos per lucem aut lumen, se tenens ex parte ipsorum. Hæc tamen experientia ostendit sufficienter plus luminis requiri ex parte obiecti, quam sit necessarium ex parte mediij, imo existimo ex ea haberi quod lumē requiratur ex parte obiecti, non ut est species visibilis præcisè, sed ut habet aliam rationem; ex parte vero mediij ipsum requiri solum, ut habet rationem speciei visibilis; vnde si non esset species talis, non requireretur.

Colores
veri di-
stinguuntur
à luce
& lumine.

An lumen
requira-
tur ad vi-
dendum
ex parte
obiecti &
mediij.

Dices

Dices cum Rudio, corpora quædam lucida videntur in tenebris, vt oculi felium, fungi, capitâ quorundam piscium: ergo non requiritur lumen ex parte medij.

Confirmatur: quia si esset lumen aliquod in medio, per quod viderentur ista corpora, maxime lumen ab ipsismet productum: sed secundum *Philosophum de sensu & sensibili cap. 2* illa non producant lumen: ergo.

Confirmatur secundo: constat non solum corpora lucida videri in tenebris, sed quo magis est obscurum medium, eo magis perfecte ea videntur: ergo non requiritur lumen ex parte medij.

Respondeo distinguendo antecedens: in tenebris, hoc est, vbi nihil est luminis, nego antecedens; in tenebris, hoc est, vbi non est sufficiens lumen ad videndos alios colores intermedios, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Ad primam confirmationem respondeo explicando *Philosophum* cum distinctione minoris: illa corpora non producant lumen sufficiens ad videndos colores intermedios, concedo minorem, non producant aliquid omnino luminis, nego minorem & consequentiam.

Ad secundam confirmationem respondeo primo, illam militare contra *Rudium*, nam similis experientia est, quod quo magis medium sit obscurum, eo magis videantur colores remoti: ergo non requiritur lumen ex parte medij ad videndos colores contra ipsum.

Respondeo secundo distinguendo antecedens: quo magis est obscurum per negationem omnis luminis, nego: per negationem luminis sufficientis ad videndos colores alios intermedios, concedo antecedens. Cuius etiam ratio est, quod quando non est lumen sufficiens ad videnda alia objecta, totus conatus potest adhiberi videndis coloribus, aut lucidis remotis; vnde perfectius videri poterunt, quam si esset tantum luminis in medio, vt aliis objectis videndis deberet potentia attendere.

Si lumen
non sit spe-
cies non
requiritur
ex parte
medij ad
videndum
colores
aut luce.

26. Dico secundo: si lumen sit causa realis & non intentionalis, nec species visibilis lucis, ipsum non requiri ex parte medij, nec ad videndos colores, nec ad videnda corpora lucida. Si autem requireretur ad colores videndos, requireretur pariter ad videnda lucida. Hæc est directè contra *Rudium* quantum ad vitamque partem, & etiam vt videtur, contra *Complutenses*: est quoque contra *Conimbricenses* quantum ad primam partem, eam intendunt sine dubio *Hurtadus & Arriaga*.

Probat autem prima pars: experientia illa supra obiecta priori resolutioni, qua scilicet constat quod ex obscurissimo loco videantur lucida ac colorata remota, non videantur vero viciniora ex parte medij: nam in illo casu non constat experientia vlla quod sit lumen in medio, sed potius constat oppositum; & ex suppositione quod lumen non sit species lucis, non est vlla ratio vnde suadeatur esse lumen sparsum per totum medium: ergo non est asserendum quod sit lumen in toto illo medio, & consequenter lumen non requiritur ex parte medij.

27. Dices, color describitur à *Philosopho* esse id quod mouet actum perspicuum, id est, corpus transparens illuminatum: ergo non potest producere species in medio non illuminato: & consequenter vt videantur colores requiritur lumen.

Respondeo explicando *Philosophum* per distinctionem antecedentis; mouet actum perspicuum, hoc est, aliquod corpus transparens quod est illuminatum ex aliqua parte, nempe ex parte obiecti colorati, concedo antecedens; quod est illuminatum ex omni parte medij, per quod videtur, nego antecedens, & similiter distinguo vtrumque consequens. Ratio autem huius explanationis desumitur ex eo, quod non possit veritas istius descriptionis ostendi, si intelligatur in sensu aduersariorum; possit autem in sensu iam dato: ergo melius sic explicatur, quam vt explicant aduersarij.

Dices, non magis debet requiri lumen ex parte aliqua medij, quam ex omni: ergo si ex vlla requiritur, requiritur ex omni.

Respondeo, negando antecedens: tum quia experientia constat requiri ex aliqua, non vero ex omni; tum quia

requiritur ex parte medij vicina obiecto colorato, v.g. quia alias coloratum non est illuminatum; non potest autem producere species, nisi illuminetur, vt patet experientia; potest autem illuminari posito lumine in parte medij sibi vicina, quamuis non ponatur lumen in omni parte medij.

Confirmatur hoc, & simul etiam ipsa principalis resolutio: secundum ipsos aduersarios requiritur plus luminis ex parte obiecti quam ex quacunque parte medij, ex qua videri potest; id quod & colligitur etiam experientia supra proposita: ergo non est eadem ratio requirendi lumen ex omni parte medij, ac ex aliqua parte. Itaque quemadmodum plus potest ex vna parte medij desiderari luminis, quam ex omni, bene potest lumen requiri ex vna parte, quamuis ex cæteris non requiratur, nisi aliunde probetur id fieri non posse quam ex hoc argumento: requiritur ex vna parte: ergo ex omni.

28. Dices tertio: lumen requiritur ex parte obiecti secundum *Scotum*, quia lumen est prius visibile quam color, vt patet ex eo, quod lumen possit videri non viso colore, color autem videri non possit, non viso lumine; & quia consequenter non potest color producere speciem sui, quin lumen etiam sui producat: sed si color nequit producere speciem sui absque lumine, nec species coloris potest producere speciem aliam sui absque lumine, & consequenter quandoquidem color videri nequeat, quin diffundatur species eius per totum medium, lumen etiam debet diffundi per totum medium: quo argumento vtuntur *Conimbricenses*.

Respondeo negando minorem (ex suppositione quod lumen non sit species visibilis) quia scilicet quod non possit species coloris producere aliam speciem, nisi vbi species luminis producat aliam speciem. Itaque dependentia coloris à lumine consistit in hoc, quod non possit color nec per speciem sui producere speciem visibilem in vlla parte medij, vbi lux vel lumen producat speciem sui; hoc autem potest fieri, quamuis possit producere speciem vbi non esset lux aut lumen, vt est euident, ipsa species lucis non sit lumen.

Probat iam resolutio præsens quantum ad secundam partem: quia eadem profus est ratio, & eadem experientia de lucidis & coloratis, quantum ad hoc: ergo si requiritur lumen ex parte medij ad videnda colorata, requiritur etiam ad videnda lucida.

29. Dices cum Rudio, disparitatem esse, quod lumen eo quod sit qualitas perfectior, mouere possit medium non illuminatum, color vero imperfectior non possit.

Contra: quia quamuis esset perfectior, ex hoc non sequeretur quod possit mouere actum non perspicuum, seu non illuminatum: nam perfectio maior ipsius non defumitur ex hoc, sed ex aliis capitibus, que non habent necessariam connexionem cum huiusmodi motione: ergo ex perfectione maiori ipsius non rectè arguitur, quod possit mouere actum non perspicuum. Quod si perfectio maior ipsius partim defumeretur ex hoc, omnino neganda esset, nec probari posset, nisi prius probaretur, quod competere ipsi actui mouere perspicuum, & quod id non competere colori.

Confirmatur hoc: quia aliquid aliud non magis perfectum quam color potest mouere medium actum non perspicuum, vt sonus, v.g. ergo non mouere actum non perspicuum, non arguit maiorem perfectionem; neque ex maiori perfectione oritur quod possit lux mouere actum non perspicuum.

Dices secundo, lumen non requirit actum perspicuum tanquam subiectum; constituit enim actum perspicuum: ergo non requirit actum perspicuum medium, vt moueat intentionaliter.

Respondeo, negando consequentiam, quæ si valeret, sequeretur etiam quod color non requireret medium actum perspicuum vt moueat intentionaliter, quia non requirit aliquid actum perspicuum tanquam subiectum.

30. Dico tertio, lumen requiritur ex parte obiecti colorati sic, vt absque concursu actus luminis non possit color producere speciem sui. Hæc videtur esse e contra

Quomodo
requiritur
lumen ex
parte ob-
iecti.

Complu

Complutenses, & patet: quia quandoquidem color non possit producere speciem sui quin illuminetur, potius est dicendum quod id oriatur ex eo, quod indigeat concursu actiuo luminis, quam ex eo, quod lumen esset conditio sine qua non; neque enim potest ostendi quomodo haberet rationem conditionis, quandoquidem non applicet colorem, nec tollat impedimentum aliquod specierum eius.

Dices: color per se est visibilis: ergo non redditur visibilis per lucem.

Respondeo, distinguendo antecedens: est visibilis secundum se, ita ut se solo absque concursu effectiuo luminis possit producere speciem sui, nego antecedens: est visibilis per se, id est, ita ut visio possit ad ipsummet immediate terminari, concedo antecedens, & nego consequentiam.

Dices, in hoc distinguitur sensibile proprium à communi, quod proprium per se primo attingitur à potentia, & non ratione alterius; commune vero attingatur non per se primo, sed secundario & ratione alterius: sed color est sensibile proprium: ergo per se primo & non ratione alterius est visibilis, & consequenter erit visibilis sine dependentia à concursu effectiuo luminis.

Respondeo primo negando maiorem, sed potius differunt in hoc, quod sensibile proprium percipiatur ab vno solo sensu; commune vero percipiatur à pluribus; unde si solus oculus videret motum, motus esset sensibile proprium, quantumvis non videretur nisi mediante colore, aut lumine.

Respondeo secundo, distinguendo maiorem: non ratione alterius, cuius ipsum sit modus, transeat; non ratione alterius, id est, mediante concursu effectiuo alterius, cuius tamen ipsum non sit modus, nego maiorem: & similiter distinguo primum consequens, & nego secundam consequentiam.

31. Quæres vltimo, an color sit obiectum materiale visus, an vero formale.

Respondeo, hic non posse esse quæstionem vllam nisi de nomine, nam si per obiectum materiale intelligatur obiectum, quod terminat quidem immediate visionem, sed tamen non nisi cum dependentia ab alio, quod aliud potest videri sine ipso, color sine dubio erit obiectum materiale, & lux seu lumen erit obiectum formale. At si per obiectum materiale intelligatur illud, ad quod visio immediate non terminatur, color non erit obiectum materiale, sed formalissimum. Et quia hic modus loquendi est sine dubio melior, & proprior, propterea absolute dicendum existimo quod color sit obiectum formale visus tam bene quam lux: nec refert quod inde sequatur dari plura obiecta formalia visus, hoc enim non est inconueniens de pluribus obiectis partialibus attingibilibus per diuersos actus.

Alia de lumine & luce possunt videri in *Commentario ad distinct. 13. supra*. Hæc ad propositum præsens sufficiunt.

QVÆSTIO II.

De organo & obiecto Auditus.

32. In aure reperiuntur plura quemadmodum in oculo, de quibus dubitari potest in quoniam ex illis producatur & recipiatur auditio. Intra enim partem externam aurium, quam oculis videmus, & foramen earum, reperiuntur membrana quædam, quæ miringa, seu tympanum dicitur, & intra illam substantia quædam acrea, hoc est, similis aeri, sed animata: ipsa porro membrana sustinetur tribus ossiculis, quorum vnum simile est in eudi, alterum malleolo, tertium stapedæ; & ad eam à cerebro duo nervi descendunt, qui auditorij possunt vocari, sicut nervi pertingentes ad oculos visorij appellantur.

CONCLUSIO I.

33. Organum auditus est aer ille seu potius substantia aeris similis intra tympanum inclusa. Hæc est communissima cum Philosopho 2. de partibus animalium con-

tra *Vesalium*, qui in ossibus; *Themistium*, qui in spiritibus; & *Complutenses*, qui non solum in aëre illo, sed etiam in nervis auditionem produci putant.

*Probat*ur, quia nulla alia pars magis ad hoc accommoda videtur: ergo cum communiter ita teneatur, nec aliqua ratio sit in contrarium, dicendum est quod illa pars sit organum auditus.

Confirmatur primo, contra *Vesalium*, quia illa tria ossicula non continuantur immediate: ergo in illis tribus auditio non fit.

Confirmatur secundo contra *Themistium*, quia spiritus illi non remanent stabiliter in aure: sed organum debet esse quid stabile: ergo.

Confirmatur tertio, contra *Complutenses*, per ea, quæ dicta sunt contra illos quæstione præcedenti de organo visus: & præterea quia illi duo nervi non continuantur inter se, sicut nervi optici, seu visorij.

CONCLUSIO II.

34. Sonus est obiectum adequatum auditui, & non bene describitur esse qualitas sensibilis resultans ex forti percussione corporum sonorum, & medijs resilientia: sed bene describitur esse qualitas illa, quæ sentitur per aurem solum.

Prima pars est omnium, & patet, quia omnem sonum potest percipere, & nihil aliud, tanquam obiectum proprium, quod non sit sonus.

Secunda pars est contra *Complutenses*, & patet breuiter, quia ignoras sonum non potest intelligere quid sit corpus sonorum, quandoquidem hoc ipsum explicetur præsertim ab aduersariis esse corpus aptum efficere sonum: ergo pessime explicatur sonus per ordinem ad corpus sonorum. Omitto alias imperfectiones illius descriptionis, quia hæc sola sufficit ad illam reiiciendam.

*Probat*ur *tertia pars*: quia quicumque ignoraret quid esset sonus, per hoc, quod diceretur ipsi esse talis qualitas, posset ipsam distinguere ab omnibus aliis qualitatibus & rebus: ergo bene sic describeretur.

35. Dices non constare quod id, quod auditur sit qualitas: ergo supponitur in definitione aliquid competere sono, de quo non habetur vlla certitudo.

Contra, quia illud quod auditur debet esse aliquid: non substantia, nec quantitas, quia hæc manere possent quando nihil auditur æque ac quando quidpiam auditur: non etiam relatio, quia hæc nequit producere speciem absolutam, nec per se primo percipi potest: ergo debet esse qualitas, quia nihil aliud relinquitur in quo possit consistere.

Dices esse motum.

Contra primo, quia potest esse motus vehementissimus, & nihil audiri. *Secundo*, quia motus est sensibile commune non proprium. *Tertio*, quia sonus causatur per motum secundum Philosophum *tex. 78. Quarto*, quia motus formaliter est relatio: ergo non potest percipi per se directe ab vlla potentia externa, nisi simul percipiatur ab ea aliquid aliud. Quando autem Philosophus dicit 2. de anima c. 8. sonum esse motum; intelligendus est in sensu causali, non formali, ita scilicet, ut non velit sonum esse formaliter motum, sed eum mediante motu causari.

CONCLUSIO II.

36. Sonus non deferretur ad auditum quoad esse reale suum, sed mediantibus speciebus impressis. Hæc est communis; & probatur: quia si sonus quoad esse reale suum deferretur ad auditum, vel idem ipse sonus, qui primo producitur ad collisionem duorum corporum, vel alius sonus distinctus: non primum, quia ille sonus primo productus non potest deferri absque subiecto in quo primo producebatur; quia alias accidens migraret de subiecto in subiectum; neque potest deferri cum subiecto, tum quia aer ille, in quo primo producebatur non potest esse tantus, ut possit sufficere ad hoc ut realiter spargatur per omnes illas partes in quibus auditur vox; tum quia si aer ille cū sono in se producto deferretur ad organum auditus, quemadmodum odor deferretur ad odoratum: non perciperetur sonus ut distans, sed ut præsens, contra experientiam.

Non